



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 25. Albæ Ducis exercitus, necnon Ascanius Comes in suspicionem pertractus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæcul. XVI.  
A. C. 1556.

§. XXV.

*Albæ Ducis exercitus : necnon Ascanius Corneus in suspicionem pertractus.*

*Pallav. l. 13.  
c. 17. n. 8.  
Thu. l. 17.*

Recensebantur in Albani Ducis exercitu octo Italorum millia in Neapolis Regno conscripta, quæ Vespasianus Gonzaga ducebat: aderant insuper quatuor millia Hispanorum, quibus præerat Sanctius Mardones sub Garfia Toletano: Porro Marcus Antonius Columna ducebat sex equitum vexilla, mille vero ducentos levis armaturæ equites sub suo imperio habebat Josephus Cantelmus Popolii Comes, qui nuper relicto Pontifice ad Albanum Ducem transferat: tandem integer exercitus duodecim machinis bellicis erat instructus. Præfectus autem annonæ constitutus est Lopezius Mardones, castris vero præerat Ascanius Corneus. Is ab initio ob nimiam libertatem Pontifici in suspicionem venerat, sed cum in bello, quod Antonius Caraffa contra Balnei Comitem gesserat, fidam admodum operam navasset, tantam suæ probitatis, ac virtutis opinionem apud Caraffas excitavit, ut ei Velitras præcipuum ditioris Pontificiæ propugnaculum custodiendum crederent: verum obtrectatorum malevolentia, ut suspectus esse inciperet

ret, rursus effecit & Hispani, qui tanti momenti Ducem Caraffis eripere fatagebant, ut eum magis suspectum redderent, literas artificiose confictas Papæ Nepotibus mittebant, quibus significabatur, quod Ascanius cum Albano Duce clandestina foveret consilia. Ergo a Papa adesse jubetur: verum suæ salutis Romæ haud satis cautum esse a Cardinale fratre suo admonitus ad Neapolitanum Regnum aufugit: inde vero magis exacerbatus Pontifex Cardinalem comprehendi, atque in arcem S. Angeli deduci, necnon utriusque fratris bona proscribi præcepit.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1556.

§. XXVI.

*Cæsareus cursuum publicorum supremus Moderator, necnon Garcillanus Vega Papæ jussu comprehensi.*

His insuper accessit alius eventus, ex quo major adhuc Papam inter, & Cæsarem, ac Philippum Regem animorum dissensio oriebatur; quippe Sarræ Marchioni mos erat, ut literas suas ad Neapolitanum Pro-Regem per Tabellarium mitteret, qui pedester Terracina iter faceret: contigit autem, ut quadam die hujus oppidi Rector observaret, quod hic Nuntius ea non deferret

Pallav. l. 13.  
c. 17. n. 6.

ret